

B
51

av 76

00/81

U

9/94 3

2m

Disputatio Inauguralis Medica 18

De

**P H T H I S I
P U L M O N A L I,**

QUAM

Assistente DEO Optimo Maximo,

Indultu & A U T O R I T A T E

Gratiosissimi in hac ILLUSTRERNESTINA
MEDICORUM. ORDINIS,

Sub P R A E S I D I O

VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE
EXPERIENTISSIMI

**DN. JOHAN. GERHARD.
WINTHER,**

Philosophiæ & Medicinæ Doct. Hujus, & Physices Profess.
Ordinarii, & Facultatis Medicæ h. t. DE C'ANI Spectabilis,

Promotoris & Cognati sui semper honorandi,

Pro Summis in Medicina HONORIBUS &
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS

legitimè obtinendis,

*Publicæ MAGNIFICI & AMPLISSIMI SENATUS
ACADEMICI*


Aliorumque Eruditorum disquisitioni submittit

In AUDITORIO MAJORI.

Die 19. Octobr. horis ante & pomeridianis AN. 1693.

JOHAN. REINH. SIMMER, Gudensb. Hassus.

RINTHELII, Typis G. C. Wächters/ Acad. Typogr.





B. C. D.

Communissimus inter morbos chronicos, quibus hoc ærumnoso seculo miseri mortales affliguntur; hinc in praxi medica sæpius se offerunt, est PHTHISIS PULMONALIS. Causæ particulares frequentia hujus, si earum enumerationi inherere mihi liceret, in promptu essent. Sufficiat hinc solum indicasse generalem illius causam esse hodiernam diætam à frugaliiori Hippocratis seculo usitata vivendi ratione prorsus mutatam, perversum rerum non naturalium usum: unde humorum corruptela, & ex hac lernæa Hydra, omne morborum genus, teste Coo in lib. de natura hominis. Placuit igitur mihi, de prædicto morbo Disputationis Inauguralis loco quædam differere, quæ ut cedant feliciter, D. T. O. M. devotè oro, Benevolumque Lectorem, ut æqui bonique proponenda consulere velit, enixè rogo.


THESIS I.



Irca Onomatologiam, breviter notare placet, nomen $\Phi\theta\iota\sigma\iota\varsigma$ deducum à $\Phi\theta\iota\sigma\iota\epsilon\upsilon\varsigma$ ò $\Phi\theta\iota\sigma\iota\epsilon\upsilon\varsigma$, quod est consumi, contabescere, propriè de vegetabilibus aliisque sensim pereuntibus dici: Quare errant, qui illud à $\pi\lambda\upsilon\sigma\iota\varsigma$, i. e. exspuere, exscreare, quòd affectifre-

A

quen-



quenter expuant, deducere malunt, cum hoc Symptoma, morbi hujus naturam non exhauriat nec explicet.

I I.

Est autem phthisis nomen satis generale, dum vulgo omnem extenuationem, sive totius corporis, sive partis alicujus tantum à quacunque causa ortam denotat. Sic marasmus à Scorbuto, passione hypochondriaca, obstructionibus glandularum & lacteorum mesenterii, febris hectica &c. cujus curationem tradit Barbette in praxi sua, vulgo phthisios nomine venit; vel specialius sumitur pro certa tabe corporis ab ulcere alicujus visceris, quodcumque illud sit, vel partis etiam externæ. Tandem specialissime dicit illam corporis extenuationem, quæ ab exulceratione pulmonum ortum trahit, & *Phthisis*, vel *Phthoe pulmonalis* audit, de qua hinc. Latine dicitur *Tabes*. Germanice, *die Schwind-oder Lungensucht*.

I I I.

Phænomena hanc phthisin concomitantia sunt, consumptio vel tabes totius corporis incrementum sensim fumens, tussis molesta, quæ excernitur sputum purulentum, coloris nunc flavescens, nunc cinerici, nunc viridescens &c. semper verò, præsertim in confirmata, striis sanguineis distinctum. Sapor sputi præsertim matutino tempore cum è lecto surgunt ægri, est putridus, instar piscium vel carnis vel lignorum putridorum, Febris lenta sive hectica lentogradu ad altiore procedens sine sensu ægri. Accedit



cedit respiratio ob obstructos pulmones difficilis,
aliaque symptomata, de quibus infra in diagnosi.

I V.

Inde phthisis describi potest, quatenus confide-
ratur ut *symptoma*, per lentam totius corporis con-
sumtionem ab ulcere pulmonum ortam: vel ut *mor-*
bus, per pulmonum exulcerationem cum febris len-
ta, totius corporis tabe, sputo purulento cruento, pu-
trido, difficili respiratione, &c. affligentem.

V,

Subjectum morbi est pulmo, nunc unus, nunc
alter, nunc uterque; ejus lobus; quod patet ex Sym-
ptomatibus eum concomitantibus, quæ non ab alio,
quàm in hac parte radicato morbo fluere possunt.
Ut autem morbi hujus naturam & symptomatum
rationem clariùs cognoscere & explicare queamus,
partis affectæ conformatio & functio mechanica
paulò penitiùs inspicienda erit. Considerandum
ergò est cum Cl. Malpighio, pulmonem esse nihil a-
liud, quàm contextum vesiculosum vel cellulosum,
constantem ex bronchiolorum membranarum glandu-
lofis in cellulas orbiculares diductis, in quo
glandulas conglobatas in statu naturali impercepti-
biles, in præternaturali verò magno numero con-
spicuas notavit Cl. Sylvius in praxi: quippe membra-
nulæ bronchiolorum membranæ glandulosæ fistu-
læ pulmonis magnæ internam superficiem obdu-
centis productio est. Cùm verò glandularum fun-
ctio sit lymphæ percribratio & distributio, patet, non
errasse oculatissimum Anatomicum Anton. à Nuck

A 2

b.m.



b. m. cum in *Epist. anat. de inventis novis Adenographiæ curiosæ* inserta scribit: se pulmonalem tunicam stupendo planè modo lymphaticis obsessam observâsse: hæcque variis compositis infulis anastomosisque ductum respicere thoracicum, quem etiam glandulæ unius atque alterius interventu ingrediantur. Præter hæc vascula, pulmonem arteriâ & venâ circulationi sanguinis ex dextro ad Sinistrum cordis sinum destinatis, per quarum canaliculos sanguinis rivuli cellulas ejus alluunt; sic & arteriâ cum venâ socia nutritioni illius inservientibus, quas *Fr. Sylvius* primùm detexit, donatum esse, quilibet Anatomia tyro novit.

V I.

Hæc pulmonis structura ad respirationem, & hæc ad sanguinis è dextro in sinistrum cordis thalamum transitum perficiendum prorsus necessaria est. Unde animalia omnia duplici cordis ventriculo donata, pulmone quoque instructa reperiuntur. Cum verò respirationis, notante *Hippocrate lib. περὶ φύσ. ἀνθρῶν*. tanta sit necessitas, ut, siquidem aliis omnibus & cibis & potibus quis abstineret, plures tamen dies posset vitam ducere, ast si quis spiritus in corpore vias intercipiat, vel paucis momentis homini pereundum sit; & post eum *Aristoteles* vitam in inspirando & expirando consistere doceat; Usus ejus principalis nobilissimus sit, necesse est: Sed non alium assignare possum, quàm quòd illâ mediante sanguinis rivi, dum per vasa pulmonalia cellulis pulmonalibus continuâ fluunt, spiritu macrocosmico nitroso



trofo & aëreô, cujus soboles spiritus microcosmi, vitalis & animalis, sunt, imprægnentur, quo sine sanguis cruor & cadaver est, nec diutius uiuere potest, quàm foetus ab utero matris avulsus,

V I I.

E dictis constat, pulmonis substantiam duabus partibus constare, tubulis sc: seu fistulis, & succis, non minùs, quàm totum corpus; quod *Hippocrate* notante ex partibus solidis, fluidis & impetum facientibus compositum est; & secundùm incomparabilem *Bontekõe* contextus fistulosus est, per quem succi indefinenter fluunt refluentque. Unde de ipsius hujus morbi subjecto propius nunc cognoscitur, id esse pulmonem ratione substantiæ suæ membranaceæ glandulosæ fistulosæ & cellulosa, quæ ulcus sustinet. Causæ verò morbificæ subjectum esse succum aut quodvis fluidum in illa contentum.

V I I I.

Nec minùs inde patet ratio, ob quam pulmo magis huic malo obnoxius stat, quàm alia viscera, quæ quidem ab eo prorsus immunia non sunt, siquidem *Magnus Senex* jam suâ ætate *lib. de intern. affect.* notavit phthisin renalem & dorsalem, & post Eum hepatica, pancreatica, mesenterica &c. observata est: Cùm enim pulmonis substantia rara sit spongiosa glandulosa & tenerrima præ aliorum viscerum structura, facilimè etiam præ aliis erosioni capax existit, ut inde causam *προνυξμένην* phthiseos, expositam pulmonis structuram teneram erosioni facilè obnoxiam rectè statuam. Cùm autem in uno subjecto,




vel ob vitium per generationem, vel post nativita-
tem contractum, pulmones sint teneriores, quàm
in alio, apertum est, huic homini magis, illi minùs
infestum & exitiosum esse hoc malum.

I X.

*Causa efficiens proxima, phthisios vel in ipso cor-
pore generatur vel foris communicatur. Illam intus
genitam, esse lympham sapore corrosivo, acido, acri
aliove nocivam è dictis th. 5. facile colligitur. Fit
verò talis vel ob motum per numerosa lymphatica
sufflaminatum, à lymphæ crassitie vel glandularum
aut lymphaticorum obstructione; unde illa stagnan-
do saporis corrosivi vitium capit; vel etiam ipsa
lymphæ copiâ ac consistentiâ & simul sapore falsô,
acidô, acri &c. peccans, motum vel tardius per
lymphatica continuat, vel plane amittit: hinc in
membranarum glandulosis cribris congesta secer-
nitur & in asperarum arteriarum cavitatem excreta
superficialem & vix sensibilem, solâque tussicula se
prodentem excoriationem sensim infert, quæ lon-
go temporis tractu in profundum & sordidum ul-
cus pulmonum, glandulosam & vesiculosam sub-
stantiam depascens, cellulasque pure vel sanie op-
plens, ingravescit, ex quo funesta symptomatum
Lerna scaturit.*

X.

Hunc modum generationis phthisios Magnus
*Hippocrates lib. d. morb. confirmat dicens: Fit sup-
puratus, si ipsi pituita ex capite in pulmonem defluxerit,
ac primum quidem ut plurimum latenter defluit,
tenuem.*



tenuemque tussim excitat, sputum que paulò solitò amar-
rius existit, calorque tenuis adest. Progressu verò
temporis tum pulmo exasperatur tum intus à pituita
inbatescente & putrescente exulceratur, pondusque
in pectore & dolorem acutum antè & retro exhibet,
corpus vehementer incalescit, pulmo à calore ad se pi-
tuitam ex toto corpore, præcipueque ex capite, trahit.
Caput verò calefactum ex corpore, eamque putrescen-
tem subcrassam expuit. Quantò verò longius tempus
processerit, tantò sincerum magis pus expuit, & febres
acutiores fiunt, tussisque crebra & vehemens inedia
vexat, & ad extremum abvis inferior turbatur. Tur-
batur autem à pituita, quæ ex capite descendit. Hic
cum eò pervenerit, perit. Qui textus præter gene-
rationis hujus morbi rationem, etiam gradus, quibus
sensim ingravescit, eleganter describit, nec à verita-
te aberrat, nisi ubi destillationem pituitæ ex capite,
& ejusdem ex eo attractionem à pulmone calefacto
accusat, qui error illi ætati, quam lymphæ motus &
lymphaticorum glandularumque structura & offi-
cium profundè latebat, facile condonandus est.

X I.

A foris quæ accedit, causa efficiens phthisin im-
mediate excitans erodendo pulmonem, varia est. Fu-
mus sulphuris inspiratus. Gas seu exhalationes an-
timoniales, arsenicales, mercuriales aliæque ve-
nenatæ & corrosivæ minerales, sive, confertim,
sive lentè per longum tempus pulmonibus exce-
ptæ, nunc citò, nunc sensim eos erodunt; hinc
est quòd malum hoc eos qui in laboratoriis chymi-
cis



cis sudant, ut & pictores, aurifabros, fossores in metallifodinis, murarios & incrustatores, studiosos lucubrationibus indulgentes ob candelarum fumum exceptum, virgines felium halitum crebrò ore haurientes, & qui in conclavi lithanthracibus aut cespite bituminoso calefacto degunt, sæpius infestet, ut notârunt *Helmontius, Zacutus, Thirmeyer, Waldsmidius* & alii: Quippe dicti fumi minerales corrosivi inspiratu hausti non tantùm immediatè excoarationem asperarum arteriarum causant, sed etiam glandularum poros tam altè penetrant & pervertunt, ut lymphæ tam motus, quàm consistentiæ & saporis vitium concipiat.

X I I.

Causæ mediatæ infesti hujus foetus generationi obstetricantes prodeunt ex rebus naturalibus, non naturalibus & præternaturalibus: Ex *illis* præter teneram pulmonum texturam hæreditariam vel adscititiam, de qua th. 8. se sistunt: temperamentum biliosum ob sanguinis & consequenter lymphæ acrimoniam & particularum chylosarum ac nutritiarum defectum; & pituitosum ob lymphæ crassitiem catharorum foecundam matrem: Ætas juvenilis, quam *Hippocrates* octavi & tricesimi quinti annorum intervallo definit *Aphor. 9. Sect. V. § 7. f. VIII. & Aphor. 29. f. 3.* inter adolescentum morbos phthisin refert. Conformatio corporis ab eodem descripta: Pectus angustum & depressum, collum oblongum, scapulæ alatæ, & hæreditaria pulmonum mollities.

XIII.



XIII.

Ex *istis* dispositionem th. præced. notatam in actum facile deducunt causæ *procatartice* Aër. sc. in primis qualitatibus, sic vulgo dictis, excedens, vel inæqualis. Frigidus enim & humidus lympham incrassando glandulasque oppilando catharris ansam dat; unde autumnum tabidis noxium esse pronunciat *Hippocrates aph. 10. s. 3.* Calidus autem & ficcus lympham fundendo ac diapnoën intendendo humores acriores & corrosivos reddit. Ventus aquilonius & subfolanus vernalis ob particulas nivas & nitrosas pulmonibus infensi sunt. Contagio, quæ mediante aëre fit: Contagiosum malum phthisin confirmatam esse, dum fermentum ulceris corruptivum, aut per halitum exspiratum, aut per faniem expectoratam communicatum, pulmonem sanum in alio similiter inficit, ut ita conjuges sæpius se mutuò inficiant, testantur *Ethmüllerus & Riverius Cent. 4. observ. 92.*

XIV.

Cibi cacochymi, dyspepti, falsi, acidi & similis notæ, cacochyliam & cacochymiam, ac consequenter lympham sapore corrosivo infectam dant. Saccharum ob acidum quod in recessu fovet, adeò corrosivum, ut ferrum erodat, sine modo in alimentis usurpatum, lympham corrosivam præter aliàs partes pulmonem quoque exulcerantem generat. Cibi euchymi & eupepti, sed inordinate & immodicè ingesti symbolum conferunt: sæpe enim quantitas alimentorum plus nocet quàm qualitas. Potus frigidus, acidus, multo tartaro imprægnatus & imprimis



copiosè ingurgitatus ad generandam phthisin satis est aptus. Hinc qui Bacho litant sæpe tabe intereunt. Et propter vini abusum in Austria phthisin ferè endemiam esse, refert *Hæfer. in Hercul. med.* Sicut Londini in Anglia ob fenum carbonum fossilium endemia ferè censetur. Huc aquæ minerales, sine consilio potæ referendæ, quæ alioqui in tabe scorbutica & simili salutare sunt remedium: Hinc & spiritus minerales acidi, aliaque medicamenta acore corrosivo pulmonibus infesta.

X V.

Quantum ad phthisios pulmonalis productionem reliquarum rerum non naturalium abusus valeat, in propatulo est; ut non liceat hîc mihi esse prolixo in earum enumeratione: unde *Galenus* rectè ad supra thes. 12. citatum *aphor. Hippocrat. 29. s. 3.* ita commentatur: *Adolescentes phthisin non secundum ætatis rationem & naturam patiuntur, sed secundum aliquid eorum, quæ iis accidunt, quia aut percutiuntur aut contunduntur, aut saliunt aut vociferantur, aut refrigerantur, aut humi cubant, aut replentur, aut propter aliquam hujusmodi causam.*

X V I.

Ex his non parvus morborum phthisios feracium numerus se offert. Quos inter præcipui sunt Cruditas ventriculi acida plurimorum morborum chronicorum, & sic quoque phthisios fœcunda mater. Catarrhi crebrius infestantes: *Destillationes enim in superiorem ventrem intra vigesimum diem in* *antur. aphor. 28. s. 7. confer huc th. 10. Angina*
hthi-



phthisin non rarò pedissequam habet, secundum
aph. Hippocr: 10. s. 5. Et pleuritis: *Qui enim ex pleu-
ritide Empyi sunt, si à ruptione intra dies 40. sursum
purgentur, liberantur, alioqui transeunt in tabem, a-
phor. 15. s. 5. Idem de peripneumonia judicandum.*
Variolæ & morbilli frequenter phthisios existunt au-
tores. Hæmoptysis: *à sanguinis enim sputo puris
sputum, à puris sputo tabes. Aph. 15. & 16. s. 7.* Huc me-
ritò referuntur vulnera thoracem penetrantia, & in
ulcera degenerantia; casus ab alto, & inde sanguis
grumosus in quodam thoracis loco subsistens; Sic &
scorbutus ac febres quæcunque.

XVII.

Differt phthisis pulmonalis, quod fit vel *idiopa-
thica*, quando in ipsis pulmonibus causa mali sedem
habet: vel *sympathica*, quando per consensum aliis
partis generatur: vel *deuteropathica*, dum alius
morbus in phthisin transit: Unde est vel à *catarrho*,
vel *febri* vel *hæmoptysi*, *pleurisi*, *vomica*, *contusione*
&c. deinde vel *hæreditaria* est, vel *adscititia*.

XIX.

Diagnosin hujus morbi quod attinet, observan-
dum, tres ejus gradus vulgò à Medicis statui, qui in
thes. 10. citato Hippocratis textu evidenter conti-
nentur. *Primus* gradus phthisios, qui facilis qui-
dem curatu, sed cognitu difficilis est; innotescit 1. ex
lento catarrho, qui à capite in tracheam ferè latenter
delabi videtur, dum lymphæ vitiosa, crassa, acida, &c.
sensim per glandulosâ cribra secernitur. 2. Tussi te-
nui, ob levissimam excoarationem & irritationem



spasmodicam membranæ bronchialis. 3. Sputo paulò amariori aut falsiori & leviter irritativo. 4. Tenui calore, quia sanguinis mixtio vix leviter adhuc turbata est. Hæc phænomena, cùm ab ægris vel non vel parùm advertantur, malum in hoc gradu ut plurimum fataliter negligitur. *Secundus* gradus, qui jam faciliùs cognoscitur, sed difficilimè curatur, se prodit, per majorem pulmonis asperitatem & crebriorem profundiolemque tussim, ob lympham nunc magis corrosivam in bronchia excretam, indeque profundiolem horum excoiationem & exulcerationem à lymphâ acidiori & falsiori, quæ membranam bronchialeam jam fortiùs ad sui rejectionem stimulat & tussim graviorem excitat. Et hinc 2. copiosiolem anacatharsin nutrimenti pulmonum chylosi ab acido corrosivo corrupti, striis sanguinolentis ob erosionem vasorum sanguifluorum subinde distincti, in pus, quod pituitam putridam mendaci specie simulat, Et inde 3. pendente corporis contabescentiâ, quatenus absumpto & corrupto nutrimento chyloso dulci, reliqua M.S. corrosiva & colliquativa evadit. 4. Pectoris gravitatem & respirationem difficilem, propter oppletas cellulas orbiculares à lymphâ viscida & pure. 5. Saporem puris tetricum & odorem gravem, si prunis injicitur. 6. Febrim hecticam ingravescentem, ut sub finem hujus gradus & initium tertii, febrim putridam intermittentẽ velut auxiliares copias quandoq; sibi jungat, ob mixtionem sanguinis jam satis profundè turbatã. Inde *tertius* gradus manifestus fit, à puris magis sinceri exspui-



spuitione, febribus acutioribus, tussi fortiori & frequentiori, imprimis sub noctem, inediâ mox vexante, mox fame intensius stimulante, & quæ tandem tragœdiæ finem faciunt, intumescentiâ pedum, diarrhæâ colliquativâ, sudoribus nocturnis colliquativis & capillorum defluvio. Non incerta quoque phthisios pulmonalis signa ex morbis prægressis & non rectè judicatis, quos th. 16. memorat, desumi poterunt: Nec minùs ex hæreditaria ad hunc morbum dispositione.

X I X.

Circa prognosin ex thesi præcedenti notandum est, phthisin incipientem facile sanationem recipere, in progressu verò difficilimè, imò nunquam; quin ut plurimum affectus chronicus & lethalis est. Hinc *Crato* trium Imperatorum Archiater Consilio 86. difficilima curatu esse pulmonis ulcera, propter perpetuum motum, tussim, & quòd medicamenta non facilè permeant, testatur. Addit *Sennertus* quòd sanies & pus in molli & spongiosa illa carne sine tussi expurgari nequeat, quâ indies pulmo magis læditur, Et *Galenus* exiguam sanationis spem in ulceribus pulmonum superesse inquit. *Timæus à Guldenkleee*, Archiater Electoral: Brandenburg: ingenuè fatetur, se in sua praxi, quam 37. annos exercuit, neminem ulcere pulmonum laborantem integræ sanitati restituere potuisse, licèt nihil intentatum reliquerit, quod ad medelam hujus mali ullo modo facere potuerit: nec ab aliis Medicis celeberrimis quempiam restitutum vidisse. Rectè igitur *Sennertus* monet, illos



decipi, qui jactant ulceris pulmonum sanationem, cum pituita crassa putrescens puri similis sit, & sine ulcere pulmonis in pectore subsistens quandoque febres & maciem inducat: Præcipue cum tussis & excretio puris possit esse sine ulcere pulmonum vid. *Schneider. l. 4. de catarrh. Barthol. cent. 4. histor. 17.* & pulmonis exulceratio possit etiam esse sine tussi, ut habet *Kerkring. spicileg. obs. 72.* Sex signa proposita ab *Hippocrate* in convalituro vid. *Prorrh. lib. 2.* quæ verò non nisi in primo gradu observabuntur. Phthisis ergò, si ulcus sit profundum & diuturnum, planè incurabilis est. Hæreditaria omnem spem sanationis præcidit: Sic & quæ ex diuturna hæmoptysi originem traxit. Phthisin, quæ cum febre hectica intermittentem jam copulatam habet, si curare fatagas, laterem lavabis. Sputum prunis injectum si graviter oleat & capilli defluant, malum. *Aph. II. s. 5.* si alvi fluxio superveniat, in propinquo est mors *aph. 12. s. 5.* Cum sputum retentum fuerit, moriuntur. *aph. 16. s. 7.* Tamdiu enim, ait *Galenus*, phthisici vivunt, quamdiu extussire, & per sputa pulmonem expurgare possunt: Si verò intus ipsa remanent, respirationis obruentur via, puta cellulas malignas, & ægri suffocantur. Vel potius quòd sanguis & lymphæ ad circulandum ob crassitiem autam tandem inepta prorsus facta sint. Cæterum phthisis malum chronicum est, quod per multos annos sæpe protrahitur.

X X.

Explicatâ theoriâ ad praxin nunc progredior.
Cum



Cum verò phthisis confirmata, ut supra ostensum est, insanabilis sit, & Hippocrates *lib. de morbis medicis* suadeat, ne talium ægrorum curam suscipiant, ob famæ suæ jacturam; de phthisis incipientis curatione quædam subjungam. Quæ curatio sequentibus fundatur indicationibus. 1. Habenda est ventriculi cura. 2. Ad catarrhum respiciendum, i. e. lymphæ consistentiâ, sapore & motu peccans corrigenda est. 3. Caput & partes nervosæ ac glandulosæ roborandæ. 4. Ulcus abstergendum & consolidandum. 5. Puris expectoratio procuranda & 7. In confirmata phthisi anacatharsis omnifera adjuvanda, vires instaurandæ, ad febrem reliquaque symptomata respiciendum est; quia & tunc æger sine solamine relinqui à Medico per conscientiam, inquit.

X X I.

Hæ indicationes obtinentur, quantum possibile est, remediis ex triplici fonte, *chirurgico, pharmaceutico, & Dietetico*, hauriendis. *Chirurgicus* hinc ferè aridus est, dum nec V.S. nec alia sanguinis emissio, imprimis in confirmata phthisi convenit: Vires enim succumq; vitalem magis exhauriendo morti ferè latè pandit. Interim ad avertendum catarrhum à pulmonibus vesicatoria, fonticuli & similia remedia non spernenda sunt.

X X I I.

Ex *pharmaceutico* emetica, ut & purgantia in incipiente phthisi, præsentè ventriculi vitio & cruditate necessaria sunt; in confirmata verò angue peius vitanda, præsertim aloëtica, si sequatur hæmopti-



tyfin. Illo in casu sufficere possunt *rhabarbarina* & *tamarindinata* infusa, sic & electuaria lenitiva, quale est *tamarind. c. fol. Sen. &c.* Inter Emetica *Tartarus emeticus* ad 2. vel 3. Gran. exhibitus omne absolvit punctum.

XXIII.

Ad ventriculi vitia corrigenda faciunt Elixiria: *propr. c. & s. acid. Vitrioli Myns. Ess. absynth. calam. arom. meliss. cort. citr. sal volat. oleos.* Condita & conservæ radicum, herbarum & florum stomachicorum & cephalicorum, quæ simul caput & partes nervoso-glandulosas confortant, & lympham, ob crassitiem stagnantem, fluxilem reddunt catarrhumque tollunt per sal vol. oleos. quo abundant: Quo in casu decocta *lignorum exoticorum* conveniunt, à *Balth. Brunnero* tantoperè commendata, quorum formulas tradit *Ettmüllerus*, licet alioqui diaphoretica extra hunc casum in phthisi malè audiant. Lympham verò tenuem, serosam & corrosivò sapore imbutam temperant optimè *opiata* & quævis *papaverina*, itemque mucilaginosæ & absorbentia. *Laud. opiat. vesperi* ad gr. j. exhibitum, *Pil. de Cynogloss. de Styrace*, *pil. à Deckero* ad sublationem catarrhi commendatæ in *not. ad prax. Barbett. pag. 95. Syr. papav. alb. & errat. de symphyt. & alth. Fernelii; Elect. diacod. &c. oc. cancer. antihæctic. Poterii, C. C. ust. ebur s. igne, sacch. Saturn. Pulv. anonym. Haly Abb. Species diatrag. frigida &c.* Ad ulceris absterfionem & simul consolidationem ac expectorationem egregiè valent sequentia: *Sirup. de peto Quercet. ritè paratus ex succo her-*



herbæ benè depurato ne vim emeticam exerat, *heder. terrestr.* Ejusd. *veron. scabios. pedis cati, prassii, farfar. enul. liquirit.* Condita & conservæ præsertim *rosar. rubr. veron. &c. Lohsan. & expert. de farfar. pulmon. vulp.* Balsam. *sulphur. anisat. Myns. igneus* parcâ manu datus, vel *Blancard.* dilutior & largiori propinatus, optimus est; flor. *sulphur. simpl. & myrrhat. flor. benzoës.* Tinct. *antiphthific. D. Michaëlis, Timæi, Eff. traumatic. hyperici, myrrh. tartarisata &c.* Varia decocta, *galli veteris,* cum herbis, floribus & seminibus vulnerariis, *rad. chin.* Destill. *sanguinis porcellorum,* quorum formulas videre licet apud Practicos,

X X I V.

Diarrhææ imminenti occurritur & præsentifœcenum injicitur, pulveribus absorbentibus adstring. & emplastica virtute pollentibus; & parantur ex *corall. rubr. mastich. bolo Armen. terr. sigill. Japonica, C.C. ust. ebore ust. &c.* qui *theriaca cælest. vel laud. cydoniato* nobilitantur. Ea intentio obtineri quoque poterit, *essent. anodynâ, laudani liquidâ cydoniatâ, Tinct. catechu &c.* in convenientibus vehiculis exhibitis. De externis remediis, sc. unguentis balneis lactis & aquæ dulcis, consuli poterunt Practici. Virium instaurationi inserviunt præter laudata decocta th. præc. confectiones confortantes, & maxime diæta, quæ nutritionis defectum quoque resarcire debet: de qua nunc.

X V.

Diæta igitur in hoc morbo, si in ullo alio, exacta requiritur, quâ plus sæpe proficitur, quàm medica-

C

men-



mentis. Aër eligatur purus, & temperatus, vitetur intensè calidus & frigidus, ut & nimis ficcus aut humidus: in his qualitatibus excedens corrigendus est instructo foco, suffumigiis aliisque remediis idoneis. Alimenta sint boni succi & facilis digestionis, indicationibus suprâ notatis accommodata. Unde profunt juscula ex *hordeo, avena, milio, oryza, amygdalis, pineis, pistaciis*, & similibus analeptici parata: cancri fluviatiles, ut & limaces à quibusdam laudantur, sed coctu sunt difficiles, quare decocta eorum magis profunt. Carnem animalium juniorum sc. vitulorum, agnorum, caponum, pullorum gallinaceorum sibi commendatam habeant phthitici, imprimis si secundum consilium *Foresti* saccharo rosaceo condiatur. Exulent omnes cibi falsi muriatici, acidi, infumati aliique deterioris succi & dyspeptici. Potus sit cerevisia bene defæcata & tenuis, decoctum tenuæ rad. chin. ponderosæ cum rad. liquiritiæ, flavæ cortic citri, pauco cinamomo factum. Saccharum in alimentis cum cautela usurpandum, sicut etiam mel. Lac omnibus indicationibus respondere dicitur, dum ratione diversarum particularum ulcus mundificat, consolidat & corpus nutrit: unde hodie sola diætâ lactea phthisin, sicut, & podagram, curare satagunt; de qua curandi methodo consulantur practici: quætamen, ut vereor, rarò optatum eventum sortietur, dum in principio morbi ægri legibus hujus methodi morem gerere detrectant, in progressu verò feбри intensiori, ventriculi atoniâ, fermentorum inertia & oppletione pulmonum à pure
&c.



&c. præsentibus, frustra præscribitur, & plus nocet quam prodest. Lac hominis ex mammis suctum optimum est, succedit asininum, caninum, caprillum, denique vaccinum: Ejus coagulatio in ventriculo præcavetur saccharo cando vel rosaceo. Cæterarum rerum non naturalium usus modum non excedat: Siquidem corporis & animi vehementior motus phthificos plures ad plures abire jubet. Tantum!



Corollaria.

I.

Sicut Emetica & purgantia in phthisi incipiente magna sepe præstant, ita in confirmata funestum plerumque dant effectum.

II.

Decoctum Caffè & præsertim herbe Thée, additâ dimidia parte lactis dulcis, non spernendum Medicamentum antiphthificum est, dum omnibus indicationibus accommodatum est.

III.

Corpus in genere rectè definitur, quòd sit extensio in longum, latum & profundum.

IV.

Inter corpus physicum & artefactum, non substantialis, sed tantum accidentalis differentia intercedit.

C 2

V.



V.

Medicamentorum vires non melius, quàm per motum materiae caelestis particulas varias variè incitantem, explicari possunt.

VI.

Ternarium elementorum numerum corporum mundanorum triplicitas solidè probat.

VII.

Figura particularum cujusque corporis nullo sensu melius, quàm gustu cognoscitur.

VIII.

Saporum principium est sal, idque duplex, acidum & muriaticum seu alkali; unde duo saporès, acidus & salsus, sanitatis & cunctorum morborum autores.

IX.

Et quia horum saporum innumerae sunt differentiae accidentales, innumerae quoque morborum sunt differentiae.

X.

Communissimus omnium morborum est scorbutus, ab acido viscido pendens, sine quo vix ullus morbus in humoribus radicatus existit.

XI.

Unde febres nihil aliud sunt, quàm productum scorbuti.



Nunc quoniam lætum Cathedram Te scandere
cerno

Simmere! ex animo gratulor inde Tibi

E



Et precor ut fias præclarus in arte *Machaon*,
Virtutisque *Tuae* præmia digna feras.

Paucis hisce ac exiguis versiculis verum suum
erga Nobilissimum Dominum Candidatum
Amorem testari voluit

JOH. WILHELMUS SEIBELIUS
PALATINUS, M.C. & Opponens.



DUM SIMMERE studes medicas fulgere per artes
Inde Tibi famam concilias celebrem.

Exhibet hoc etenim phthisios specimen manifestè

Naturam phthisios perspicuè retegens.

Sic Tu legitimè Titulos sortiris Honorum,

Eximios fructus ex nimis studiis.

Paucis absolvam, magnos gratabor honores,


Quos animi dotes promeruerè Tibi.

Omnipotens faveat, captisque laboribus adsit,

Ac animi semper sint rata vota Tui.

Hisce Pereximio atque Doctissimo Domino Candi-
dato, Commensali Suavissimo, rudi licèt Mi-
nervâ, sincerò tamen affectu applaudere vo-
luit

J. C. Kleinschmidt/ SS. Theol. Cultor.



WEIL Er mein wehrter Freund von Jugend auff geliebet
Gelehrte Wissenschaft/ weil Er sich hat geübet.

Im angenehmen Dienst der Edlen Musen: Schaar/
Daß seine stete Lust nur ihr zu opffern war.

So hat sie seine Müh/ auch zu Gemüht geführt/
Auch Pallas herrlich Ihn mit Wissenschaft gezieret.

Apollo hat erzeigt Ihm seine höchste Günst/
In dem er Ihn gelehrt die allerbeste Kunst.

Daß



Daß Er beyd's seinen Leib für Kranckheit kan bewahren,
 Und retten wiederum auß mancherley Gefahren/
 Den Nebenmenschen auch frisch machen und Gesund
 Der da endlich liegt an seinem Leib verwund,
 Gesundheit Er erhält/ die billich wird geliebet
 Vielmehr denn alles Gut/ dieselb' Er wieder giebet/
 Wann sie verlohren ist/ er lindert manchen Schmerz/
 Mit seiner Arzenei sich stärckt ein mattes Herz.
 Glückselig dann fürwar Herr S J M M E R ist zu schätzen/
 Als dessen edle Kunst kan sein Gemüht ergehen.
 Die doch so nützlich ist und nötig jederman/
 Daß niemand in der Welt den Arzt entbehren kan/
 Daß H E R B O R D hat gesehn sein tugendsames Leben/
 Das Hessische Athen M A R P U R G muß Zeugniß geben
 Von seinem grossen Fleiß/ es wird zu aller Zeit
 Auch K J N E E N seine Kunst zu rühmen seyn bereit.
 Drum kan Apollo auch nicht länger dieses sehen/
 Daß sein so treuer Freund soll unbekröhnet gehen.
 Er setzt mit einer Hand den Kranz auff seinem Sohn/
 Die ander hält bereit die schöne Doctors Krohn.
 Und dieses ist die Ehr/ die billich Ihm gebühret/
 Darum er jederzeit so eifrig hat studiret.
 Es ist der Lohn den man verdienet durch den Fleiß/
 Es ist die erste Frucht von manchem sauren Schweiß.
 Wolan ich wünsch' Glück zu diesen neuen Ehren/
 Ich wünsch' daß sein Lob sich möge stets vermehren/
 Er fahre also fort/ so wird durch frembde Land/
 Sein Nahmens Ruhm gar bald den Leuten seyn bekandt.
 Und wie man jezund kan in fettem Felde sehen
 Die Früchte seiner Müh/in voller Blühte stehen.
 So wird auch nicht sehr weit die Zeit der Ernde seyn.
 Als dann er vollends wird dieselbe samlen ein.
 Mit diesen geringfügigen Zeilen wolte seine Schuldigkeit
 gegen den Herrn Candidaten glückwünschend ab-
 stellen


J. J. Kanler/ Philos. Stud.



AB: 155451

ULB Halle
003 487 253


3



sb.

VD 77







Disputatio Inauguralis Medica 18
De
P H T H I S I
P U L M O N A L I,
QUAM
Assistente DEO Optimo Maximo,
Indultu & A U T O R I T A T E
Gratiosissimi in hac ILLUSTRI ERNESTINA
MEDICORUM. ORDINIS,
Sub P R A E S I D I O
VIRI NOBILISSIMI, EXCELLENTISSIMI ATQUE
EXPERIENTISSIMI
DN. JOHAN. GERHARD.
WINTHER,
Philosophiæ & Medicinæ Doct. Hujus, & Physices Profefs.
Ordinarii, & Facultatis Medicæ h. t. DE C'ANI Spectabilis,
Promotoris & Cognati sui semper honorandi,
Pro Summis in Medicina H O N O R I B U S &
P R I V I L E G I I S D O C T O R A L I B U S
legitimè obtinendis,
Publicæ MAGNIFICI & AMPLISSIMI SENATUS
ACADEMICI
Aliorumque Eruditorum disquisitioni submittit
In A U D I T O R I O M A J O R I.
Die 19. Octobr. horis ante & pomeridianis AN. 1693.
JOHAN. REINH. SIMMER, Gudensb. Hassus.
RINTHELII, Typis G. C. Wächters/ Acad. Typogr.